



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

IV. De iure personarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

Lia vero concilia, quæ ductu Sancti Spiritus congregata & celebrata fuerint, proximum ab istis sibi locum vendicant. Quod si quando inter ea discordia sententia invenitur, illius sententia magis est tenenda, cujus antiquior & major est auctoritas.

*Provincialia concilia quæ sunt, & quæ auctoritate habeant.*

Provincialia a concilia sunt, quæ propter Ecclesiasticas causas, & altercationum sedationes per singulas Provincias, convocante Metropolitanò Episcopo omnes provinciales Episcopos, & cathedralium Ecclesiarum capitula, celebrari placuit. Hæc autem neque diffiniendi b, neque generaliter constituendi vim aliquam habent: sed tantum curandi, ut id servetur, quod aliàs statutum est, & quod generaliter seu specialiter observari præceptum est: licet interdum & quæ ab his rectè statuta sunt, etiam Catholica Ecclesia suscipiat.

*Quæ sint Episcopalia concilia, & quæ ipsi leguntur.*

Episcopalia concilia sunt, quæ Episcopus in sua diocesi singulis annis c convocat, dum inter suos Abbates, Presbyteros & Clericos cognoscit. In his, si quid ab Episcopo statutum fuerit, nec subditi extra Diocesim constituti, neque ignorantes (nisi sit ignorantia supina) ligantur. Quamobrem pastoralis officii cura postulat, ut, quæ in illis constituta fuerint, Episcopus suis plebibus nota facere non omittat.

*Decreta Pontificum Romanorum aequipollent decretis conciliorum.*

Decreta d quoque Pontificum Romanorum Canonibus Conciliorum pari potestate exæquantur. Nam si id demum hodie probatur, quod sedes Apostolica probavit, & quod illa repulit, rejicitur: multò magis quæ ipsa pro Catholica fide, pro sacris dogmatibus diverso tempore scripsit, debent ob omnibus reverenter recipi.

*Scripta sanctorum non inserta iuri communi, secundum post decreta Pontificum Romanorum locum obtinent.*

Lia e sanè est causa eorum, quæ sancti viri, vel sacre pagine interpretes scripta reliquerunt: nam quæ sacris canonibus inserta comperiuntur, parè cum eis obtinent firmitatem, cetera verò post scita Pontificum auctoritatem tenent: nam licet divinarum scripturarum interpretes scientia Pontificibus interdum præcedant, quia tamen statuendi potestate destituuntur, in scripturis quidem exponendis illis quandoque præponuntur: in causis verò diffiniendis, secundum post eos locum habere merentur. Aliud est f enim causis terminum imponere, aliud scripturas diligenter interpretari, cum in negotiis diffiniendis non solum necessaria sit scientia, verum etiam potestas.

*Ius Canonicum versatur circa personas, res, & iudicia.*

Veratur autem Ius Canonicum circa tria: circa personas, res, & iudicia. Verum quia posteriora duo ad personas referuntur, videamus prius de personis: parum enim esset illa noscere, si personæ ignorentur, quarum causa illa ipsa constituta sunt, & per quas ea omnia administrantur.

DE IVRE PERSONARVM. TITVLVS IV.

*Christianorum quidam sunt laici, quidam clerici: & clericorum quidam sunt in sacerdotio constituti, quidam in sacris, non in sacerdotio, quidam nec in sacerdotio, nec in sacris.*

Personarum g genera duo sunt, unum laicorum, alterum verò clericorum. Laici, qui & populares dici possunt, sunt, quibus licet temporalia possidere, uxorem ducere, causas agere, inter virum &

a Dist. 17. per totum. & can. propter. dist. 18. b d. dist. 18. c. 15. in sum. c can. pen. in Palea 18. dist. & c. sicut olim. extra. de accus. d can. 3. per totum. dist. 19. e dist. 20. per totum. f s. sed aliud. in sum. d. dist. 20. g Can. duo sunt genera. 12. quæst. 1.

virum iudicare. Clerici sunt, qui divinis officii ministerii sunt, & quos ab omni strepitu cessare convenit. Videamus igitur de his, qui divinis officiis sunt a scriptis, nam si cognoverimus, quæ istæ personæ sunt, simul etiam & qui laici sunt, intelligemus. Horum autem quidam sunt in sacerdotio, quidam in sacris, quidam nec in sacerdotio, nec in sacris. Rursus eorum qui in sacerdotio constituti sunt, quidam sunt in altiore gradu vel ordine positi, quidam verò in inferiore. Videamus igitur primum de his sacerdotibus qui in altiore gradu positi sunt, proximè de his qui in inferiore, ac subinde de his qui tantum in sacris ordinibus constituti sunt, videlicet, & demum de his, qui nec in sacerdotio nec in sacris reperiuntur.

DE EPISCOPIS ET SYMMO PONTIFICE. TITVLVS V.

*Episcoporum ordo est tripartitus, & Patriarcha primum illi Papam locum tenent.*

In altiori gradu constituti sunt Episcopi. Est autem Episcoporum ordo tripartitus: Alii enim sunt Patriarchæ, sive Primate: alii Archiepiscopi: alii simpliciter Episcopi Patriarchæ b sunt, qui primum pontificiam Pontificem tenent locum: quales Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, Antiochenus. Appellantur autem Patriarchæ, quia summo honore funguntur, quasi patrum Principes: unde ob dignitatis excellentiam, & crucem e iis deserte, ab Episcopis & Archiepiscopis appellationes recipere se permittunt.

*Archiepiscopi sunt presules Episcoporum unius Province.*

Archiepiscopi d sunt unius Province Episcoporum Principes & Presules. Provincie liquidem a longo ante adventum Christi tempore, maxima ex parte divise erant: quæ divisio postmodum ab Apostolis & eorum successoribus renovata est. Itaque ubi dudum Prætorum erant seculi, nostros Patriarchas vel Primate lege diastatica poni iusserunt. In civitatibus autem Metropolitanis, quæ minores Iudices habebant, illi hodie præfunt, qui Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine designantur. Ad hos igitur inter hoc inter nos cognoscere pertinet: à quibus sicut si dicitur ab illis & accepti fuerint, ad Primate, aut scilicet Archiepiscopos appellare poterunt.

*Episcopi sunt, qui præfunt maioribus populis, & laici quosdam appellare possunt, & magna est dignitas in Ecclesia eorum.*

Simpliciter autem Episcopi sunt f, qui maioribus populis & frequentioribus civitatibus præfunt. Si speculatores Latine dici possunt: Episcopus enim quasi speculator in Ecclesia præpositus est: Mores enim & vitam populorum infra se positorum speculant & perscrutant. Horum autem non modica in Ecclesia est auctoritas: nam præter ligandi solvendique potestatem, & visitandi diligentiam, soli sacrum christum consecrant, & soli Dei altaria & Ecclesias consecrant, & postulas repungunt, Clericos ordinant, suspendunt & deponunt: ad hos pertinet excommunicatio, purgationis iudicium, dispensatio, solennis poenitentia impositio.

*Quod inferiora conceditur, multò magis conceditur & superius.*

Quod autem diximus prædicta solos Episcopos esse. Quere posse, non eum habet intellectum, quasi Archiepiscopi & Primate non eandem habeant potestatem.

a Can. 1. ord. dist. 21. b d. can. 1. Patriarcha. c C. antiq. Patriarchalium. ext. de priv. d Can. 1. dist. 21. e Ca. 1. dist. 19. f Can. 1. 4. Episcopus. dist. 21. g Can. 1. ord. ad Episcopos. dist. 25. can. quom. vii. dist. 61. & 26. quæst. 6. per totum. 1211.

